

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratris **Felici Accrocca**, hucusque Archiepiscopo Metropolitae Beneventano, Assisiensi-Nucerino-Cadinensi et Sulginatensi electo Episcopo, salutem et Apostolicam Benedictionem. Laudes creaturarum suo evangelico ex animo, ad Patrem fere transiturus, promovere studebat s. Franciscus. Cum vero ab eius obitu octingenti annuum rentur anni, Assisiensem urbem ceteraque Umbriae loca hunc praecelatum eventum extollere properare arbitramur. Nos autem universae Ecclesiae moderandae exsequentes officium, illuc alium Praesulem destinare festinamus, cum conspiciamus inibi desiderari Pastorem, postquam Venerabilis Frater Dominicus Sorrentino illarum Sedium regendam deposuit munus. Ideo ad te, Venerabilis Frater, non dubitanter decurimus, qui apud Beneventanam communitatem complura gessisti memoratu opera digna, in fidelium utilitatem, quique in Franciscali scientia prorsus versari cognosceris. Itaque Dicasterii pro Episcopis consilium excipientes, Nostra de Apostolicae potestatis plenitudine, te, Beneventanae Sedis solutum vinculo, **Assisiensis-Nucerinae-Cadinensis et Sulginatensis** Ecclesiarum, in persona Episcopi rursus unitarum, eligimus et constituimus Episcopum, retenta archiepiscopali dignitate, iisque impositis quae ad sacrorum canonum normas ad te pertinent ad tuamque condicionem. Clerum deinde fidelesque de tua electione certiores facies, quos omnes, ut te advenientem benigne recipiant tibi aequa praecipienti obtemperent, sollicite cohortamur. Nihil superest, Venerabilis Frater, nisi ut tibi animi affectionem significemus, magni ponderis hoc recipienti ministerium. Franciscali ideo spiritu animatus, caelestis Matris tutela roboratus, tuis fidelibus subvenire anniteris ut Domini clarius in dies ostendantur bonitas ac salutaria beneficia. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo vicesimo sexto, Pontificatus Nostri primo.

Leo PP. XIV

Rossini, Rot. Ap.

